Hyspalen. Decimarum.

Reu. Pater. POssident Patres Conuentus siti extrà muros Ciuitatis Hispalen. Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Calceatorum Tenimentum nuncupatum de' Marchamoron. situm in districtu Loci de Alcalà de Guadayra, ex cuius fructibus singulis annis Decima persoluta fuit Reuerendissimo Capitulo Hispalen., tamquàm Administratori Generali Decimarum dictæ Dioecesis; Cumque dicta solutio modernis Patribus non placeret, cœperunt excogitare modum, quo ab earum solutione se possent eximere, & credentes, quod si dictum Tenimentum expensis Prouinciæ coleretur; intentum consequi possent, hinc de mense Martij 1715. congregato Definitorio in Conuentu de Ronda Prouinciæ Andalutiæ dicti Ordinis, decreuit, vt inposterum dictum Tenimentum coleretur expensis Prouinciæ, & prò illa à Patre Prouinciali, qui teneretur reddere rationes dictæ administrationis, vt ex *Summ. Num.* 1.

Congregati subindè dicti Patres in eodem Conuentu de Ronda sub narratiua, quod ipsi ex priuilegijs eorum Ordini concessis à Summis Pontificibus *Nicolao Quinto*, *& Clemente Quinto* haberent facultatem eligendi Conseruatorem, etiàm prò Causarum Ciuilium, & Criminalium cognitione, nominarunt in Conseruatorem Dominum Andream de Solis, & Barrena Priorem Conuentus S. Iacobi d'Espada Ciuitatis Hispalen. *Summario Numer.* 2., cui præsentata dicta nominatione de Mense Iulij 1715. illam acceptauit, ac notificari mandauit Don Ioanni Monroy tunc Vicario Generali Archiepiscopatus Hispalen. *dicto Num.* 2. *litt.C.*, & Notarius testatur illam dicto Vicario Generali notificasse *dicto Num.* 2. *litt.D.*

His peractis Prouincialis dictæ Prouinciæ assignauit prò custodia dicti Tenimenti Fratrem Franciscum de Vaena Religiosum dicti Ordinis, vt ex illius depositione *Summario Num.* 3., cumque ex dicto Tenimento anno 1716. collectæ fuissent ter mille fanegæ tritici, & hordei *dicto num.* 3. *litt.G.*, licet Conductor Decimarum dicti loci de Alcalà, pluriès institisset prò solutione Decimæ, prælatus Religiosus illam soluere recusauit sub prætextu, quod Tenimentum colebatur expensis Prouinciæ, quodque Religio erat exempta à solutione Decimarum illorum prædiorum, quæ proprijs expensis colebant, quo circà dictus Conductor Iudicium instituit coràm Reuerendissimo Vicario Generali Archiepiscopatus Hispalen. prò solutione Decimæ, & nè interim à dicto Tenimento frumenta asportarentur mandauit illa mensurari, proùt non sinè contradictione mensurata fuerunt *d. Summ. Num.* 3.

Hinc Procurator dicti Conuentus comparuit coràm dicto Conseruatore, & exhibitis coràm eo priuilegijs, de quibus in *Summario numero* 4. 5., *&* 6. quamuis in illis nulla tribueretur Patribus Aduersarijs exemptio à solutione Decimarum illorum prædiorum, quæ proprijs expensis colunt, vt ex lectura apparet, institit, vt dictus

Conſeruator inhiberet præfato Vicario Generali, nè in illius cognitione ſe intromitteret, vtque Cauſam ad ſe auocaret *Summar. Num.*7., qui litteras inhibitorias, & auocatorias decreuit, & relaxauit *Summar. Num.*8., quas dicti Patres notificare fecerunt Vicario Generali Hiſpalen., qui reſpondit, quòd tàm ipſe, quàm ſui Prædeceſſores erant in quaſi poſseſſione cognoſcendi in prima Inſtantia Cauſas Decimales, etiàm contrà Regulares, ideòque interpellauit dictum aſſertum Conſeruatorem, vt à cognitione dictæ Cauſæ ſe abſtineret, aliàs appellabat ad Sanctiſſimum *Summario Num.*8. *lit.A.*

His tamèn minimè attentis aſsertus Conſeruator non obſtante appellatione ſe declarauit Iudicem competentem, & mandauit relaxari ſecundas litteras inhibitorias ſub pœnà excommunicationis cùm præfixione vnius diei ad comparendum *Summario Num.*9., à quo quidem Decreto ex parte Reuerendiſſimi Capituli fuit interpoſita appellatio *Summario Num.*10., & dictus aſsertus Conſeruator decreuit non eſse locum admiſſioni dictæ appellationis, quodque litteris relaxatis daretur plena executio *Summ.Num.*11., & quamuis ex parte Reuerendiſſimi Capituli productum fuit documentum circà quaſi poſseſſionem, quà à centum, & vltrà annis ſempèr Prouiſores Archiepiſcopatus Hiſpalen. cauſas Decimales contrà Regulares in prima Inſtantia cognouerant *Summario Num.*12. adhùc tamèn dictus aſsertus Conſeruator mandauit Vicario Generali Hiſpalen., *vt ſub penà excommunicationis ipſo facto incurren. ſtatim viſis litteris inhibitorijs à cognitione dictæ Cauſæ ſe inhiberet, vtque acta tranſmitteret aliàs haberetur prò excommunicato vitando Summario Num.*13.

Hinc ad euitanda ſcandala, quæ prò defenſione Iuriſdictionis in hac materia ſempèr oriri conſueuerant, fuerunt expeditæ litteræ citatoriæ cùm compulſorialibus huius Supremi Tribunalis, & tranſportatis Proceſſibus ſupplicat Reuerendiſſimum Capitulum huic Supremo Senatui, *vt declarare dignetur cauſam ſupèr ſolutione Decimarum ſpectare ad Ordinarium* cùm Clauſula = *circumſcriptis omnibus geſtis coràm aſſerto Conſeruatore, & refectis omnibus expenſis*, & videtur in omnibus annuendum.

Et quidèm circà Signaturam primæ partis, quà ſupplicamus declarari Cauſæ cognitionem ad Ordinarium ſpectare videtur indubitatum proptèr Iuris aſſiſtentiam, quà munitus eſt Ordinarius in Iure cognoſcendi omnes Cauſas ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes in prima Inſtantia tàm ex diſpoſitione Iuris communis *in cap.*1. *de Iudic. cum concordantibus*, quàm ex diſpoſitione Sacri Concilij Tridentini *ſeſſ.*24. *cap.*20. *de reformat.* incipien. *Cauſæ omnes*.

Quæ quidem Iuris aſſiſtentia eo magis locum habet in Cauſis Decimalibus, etiàm contrà Regulares exemptos per Textum expreſsum *in cap.*2. §. *Diœceſani de Decimis in* 6., vbi Canoniſtæ, & probat idem *Barboſ. in collect. ad dictum Textum, & Pater Oliua de Foro Eccleſiæ part.*3. *quæſt.*38. *num.*8., *& ſeqq.*, vbi firmat, quod etiàm Regulares exempti in Cauſis Decimalibus in prima Inſtantia ſunt

con-

conueniendi coràm Ordinario.

Neque enim Regulares in Causis Ciuilibus,& præsertim Decimalibus, quæ Iudicialem indaginem requirunt, sunt exempti à Iurisdictione Ordinarij, sed illi subijciuntur, vt mox pleniùs probabitur ex constitutionibus Apostolicis, Doctorum Aucthoritatibus, & Sac. Congregationis resolutionibus.

Indubitanter quià Reuerendissimus Archiepiscopus Ispalensis reperitur in quasi possessione cognoscendi in prima Instantia cōtrà Regulares pretendentes exemptionē à Decimarum solutione Causas Decimales Iudicialem indaginem requirentes, vt ex *Summario nu.* 12. & adOrdinarium Ispalen. ab hoc Supremo Senatu remissa fuit Causa Decimalis ad Instantiam Reuerendissimi Capituli contrà Venerabile Hospitium nostræ Dominæ de Guadalupè Societatis Iesu Ciuitatis Ispalen. ad relationem R. P. D. de Tassis in Signatura habita die 28. Ianuarij 1706. mediante rescripto = *Ad Iudicem Decimarum, & ampliùs.*

Quin obstet, si dicatur pręmissa non procederè quoad illos Religiosos, qui habent facultatem à Sede Apostolica deputandi Iudices Conseruatores: tunc enim etiam cognitio Causarum Ciuilium, quæ Iudicialem indaginem requirunt spectat ad Iudicem conseruatorem, non autem ad Ordinarium, seù loci Diæcesanum.

Quoniam pro remotione obiecti plures recurrunt ineuitabiles responsiones, quarum prima est, quod scilicet Aduersarij nullo Priuilegio, aut Breui Apostolico docuerunt habere Priuilegium, seù indultum nominandi, & deputandi prò suorum Priuilegiorum defensione Conseruatorem, siue perpetuo, siue ad tempus, & nihilominus nulli Religioni, seù Ordini licet Conseruatorem eligere, & deputare, nisi hanc facultatem obtinuerint à Sede Apostolica, ad quam solum spectat hanc facultatem concedere, vt est Textus expressus *in cap. primo de offic. delegati in* 6. ibi = *Vt Conseruatores, quos plerumque concedimus, & in cap. final. eod. tit.* ibi - *Hàc constitutione perpetuò valitura sancimus, vt Conseruatores, qui aliquibus plerumque à Sede Apostolica conceduntur*, & probat quoque constitutio Clementis VIII. impressa penès Chokier de IurisdictioneOrdinarij in exemptos *tom.* 1. *par.* 1. *quæst.* 39. *num.* 5. ibi = *Cupiens salubritèr prouidere, declarauit nullas, & inualidas omnes, & quascumque Iudicum deputationes in litteris Conseruatorijs &c. quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apostolicam perpetuò, vel ad tempus non dùm elapsum concessas* = Idipsum probat constitutio Gregorij XV. impressa in Bullario inter suas Constitutiones in ordine la 9. §. 1. *& in specie probant Barbos. in cap. final. de Officio Iudicis Delegati in 6. num.* 3. *Passerinus num.* 6. *Azor. Institut. moral. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 34. *quæst.* 6. *Portell. in dubijs Regularium Verbo Conseruatores nu.* 1. *Mandos. de Signatura Gratiæ in verbo conseruatoria Moneta de Conseruatoribus cap.* 4. *num.* 27. *& seqq. Tamburrin. de Iure Abbatum tom.* 3. *disput.* 17. *quæst.* 1. *num.* 7.

Cum itaque Aduersarij hùc vsque non docuerint, nec quod à Sede Apostolica habuerint facultatem deputandi. & nominandi Conser-

uatorem, multoque minus, quod Sedes Apostolica illis per Breue Conseruatorem deputauerit, vtique deputatio Conseruatoris ab ipsis facta est nulla, & inualida, cum nulli liceat Conseruatorem, & Iudicem sibi assumere propriâ aucthoritate, nisi facultatem à Sede Apostolica obtinuerit, vt plenè probat *Passerinus vbi supra nu.6. vers. quia dare Conseruatores sit prohibitum Iure communi*.

Et quamuis in actu deputationis, de quo *in Summ. num.2. lit.A.*, asseruerint habere facultatem deputandi Conseruatores ex priuilegijs Nicolai V., & Alexandri V., & aliorum Summorum Pontificum: nihilominùs ex actis non constat vmquam ipsos, vel à dictis Pontificibus, vel ab alijs huiusmodi facultatem obtinuisse, nam in nullo ex Priuilegijs tàm coram Conseruatore, quàm coram Ordinario exhibitis, de quibus in *Summ. num.4. 5. & 6.*, illis concessa apparet facultas deputandi Conseruatorem, vt ex lectura apparet.

Verùm quatenùs Aduersarij probarent ipsos obtinuisse, vel à Nicolao V. vel ab Alexandro V. facultatem assumendi Conseruatorem, vel ex Priuilegijs communicationis, quam habent cùm aliquibus Ordinibus dumtaxat, *vt ex Summario num. 6.*, nihilominùs huiusmodi Conseruatores solum habent facultatem cognoscendi, seù defendendi Religiosos à manifestis iniurijs, quę illis irrogantur, dictisque Conseruatoribus est à Iure interdictum, vt possint se intromittere in cognitione Causarum, quæ Iudicialem indaginem requirunt, vt sunt *Textus expressi in dicto cap.* 1. *de Officio Delegati in 6.*, ibi = *Statuimus, vt Conseruatores, quos plerumque concedimus, à manifestis iniurijs, & violentijs defendere possint, quas eis committimus defendendas, nec ad alia, quæ Iudicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem*, & *in cap. final. eod. tit.* §. *Vt autem*, ibi = *Vt autem Conseruatores limites sibi traditæ potestatis, quos frequentèr excedunt metu pænæ diligentèr obseruent, decernimus, vt si dè alijs, quàm de manifestis iniurijs, & violentijs scientèr se intromiserint, seù ad alia, quæ Iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per vnum annum ab Officio sint suspensi: Pars verò quæ hæc fieri procurabit sententiam excommunicationis incurrat, à quà non possit absolui, nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primò satisfecerit integralitèr expensas*, quodque Conseruatores Regularium non habeant aliam potestatem, seù Iurisdictionem, quàm illos defendendi à manifestis iniurijs, & violentijs, quodque cognoscere non possint Causas Iudiciales, quæ requirunt Iudicialem indaginem, probant vno ore Doctores, Reuerendissimus Petra ad *Constit. Apostolicas Tom. 4. ad Constitut. 10. Eugenij Quarti num. 8.*, *Barbos. de Episcopo par. 3. allegat. 106. num. 16. Kochier de Iurisdictione Ordinarij in par. 1. quæst. 36. num.6.*, *Tamburrin. de Iure Abbat. tom. 3. disputatione 17. quæst. 2. num.2.*, *& seqq.*, *Pignattell. consultat. 165. num. 4. tom. 1.*, *& consult. 1. num. 6. tom.3.*, & plenè *consultat. 33. per tot. tom. 8.*, *Cardinalis de Luca in Miscellaneis Ecclesiasticis discurs. 1. num. 67.*, *Rota in Toletana Iurisdictionis coràm Lancellot. penès Marchesan. de commissionibus par. 1. cap. 2. pag.* 143., & in vnà *Mediolanen. resciſsionis contractus coràm eodem* apud *Marche-*

san.

ſan. vbi ſupra fol. 144., *& in recent. deciſ.* 184. *num.* 21. *par.* 11., & ità fuiſſe reſolutum à Sacra Congregatione Concilij teſtatur *Pignattellus in argumento dictæ Conſultationis* 36. *tom.* 8., ibi = *An Regulares habentes Conſeruatorem legitimè electum debeant coràm eodem Conſeruatore conueniri in Cauſis Ciuilibus requirentibus diſcuſſionem, & indaginem Iudicialem, quandò ſunt Rei, vel potiùs coràm Ordinario = Die* 24. *Martij* 1657. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Sacri Concilij Tridentini Interpretum inhærendo declarationibus aliàs editis cenſuit Regulares etiàm Reos debere in huiuſmodi cauſis iudicialem diſcuſſionem, & indaginem requirentibus coràm Ordinario, & non coràm Conſeruatoribus conueniri*; Alias duas reſolutiones adducit Dominus meus *Farnia in nouiſſimo tractatu de Iurepatronatus par.* 2. *can.* 22. *caſu* 2. *fol.* 378. *num.* 5. nempè in *Papien. Conſeruatoriæ* 6. *Iunij* 1682., & *in Conſtantien.* 9. *Aprilis* 1701.

Tunc enim poſſunt Conſeruatores cognoſcere cauſas Ciuiles Regularium requirentes diſcuſſionem Iudicialem, illaſque poſſunt ab Ordinarijs auocare, quoties in litteris Apoſtolicis conſeruatoriæ datur expreſſa, & explicata facultas cognoſcendi cauſas Ciuiles requirentes Iudicialem indaginem, & quoties Religioſi ſunt Rei, & non Actores, prout ſimile priuilegium fuiſſe conceſſum Carthuſiæ Papien, teſtatur *Pignatell. dicta conſultat.* 36. *num.* 26. *§. final.* & ſimile ampliſſimum Priuilegium conceſſum fuiſſe PP. Societatis Ieſu, & Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ, teſtatur *Card. de Luca de Regularibus diſcurſ.* 57. *num.* 30., & cum hac diſtinctione procedunt Doctores, quod aut Regulares habent indultum ſpeciale eligendi Conſeruatorem cum ampliſſima facultate, vt poſſit cognoſcere dè cauſis Ciuilibus Religioſorum requirentibus telam Iudiciariam, & indaginem Iudicialem, & tunc poſſunt Conſeruatores huiuſmodi cauſas cognoſcere, aut litteræ conſeruatorię non tribuunt Conſeruatori expreſsè dictam facultatem, & tunc cauſæ Ciuiles Religioſorum requirentes indaginem Iudicialem, ſunt cognoſcendæ coram Ordinario, *vt per Barboſ. de offic., & poteſtate Epiſcopi dicta allegat.* 106. *num.* 57. *Card. de Luca dicto diſcurſ.* 51. *num.* 16. *dè regularibus Farnia vbi ſupra num.* 14., *& cum hac diſtinctione ſemper proceſſit Rota, vt videre eſt in deciſ.* 616. *num.* 2. *part.* 2. *recent., & coram Vbald. deciſ.* 239. *num.* 2. *& deciſ.* 283. *num.* 5. *part.* 15. *in qua cauſa ſcripſerat Card. de Luc. dicto diſcurſ.* 52. *dè Regular.* & cū eadem diſtinctione proceſſit Sacra Congregatio Concilij in dicta Papien. 6. Iunij 1682. quam tranſcripſit dictus modernus *Farnia num.* 14. *in fine* ibi = *An conſeruatores prædicti poſſint cognoſcere cauſas Regularium Iudicialem diſcuſſionem requirentes, tàm vbi Regulares ſunt Rei, quam vbi ſint Actores, reſponſum fuit = negatiue = niſi adſit priuilegium in contrarium.*

Ad hoc enim, vt Conſeruator poſſit auocare cauſas Ciuiles Regularium, quorum ſit Conſeruator, ab Ordinario non ſufficit fuiſſe legitimè, & ſeruata forma Iuris, & conſtitutionū Apoſtolicarū electū à Regularibus habentibus à Sede Apoſtolica facultatem eligendi, &

nominandi Conseruatorem, sed etiam oportet, vt Summus Pontifex in litteris conseruatoriæ dicto Conseruatori expressam concesserit Iurisdictionem cognoscendi causas Ciuiles requirentes discussionem Iudicialem Regularium, quorum sit Conseruator, sinè qua speciali facultate nō solū in causis Ciuilibus nō potest se intromittere, & eorum cognitio spectat ad Ordinarium, sed etiā tam ipse Conseruator, quam Pars, quæ causam fecit auocare, subijciuntur pænis inflictis in dicto *cap. final. de officio, & potestate Iudicis Delegati in 6. dicto* §. *Vt autem*, cuius verba supra transcripsimus.

Cùm itaquè in casu nostro PP. Aduersarij neque docuerint dè Priuilegio, quo ipsis tributa fuit facultas eligendi Conseruatorem, neque docuerint Sedem Apostolicam eorum Conseruatori tribuisse facultatem, vt contra Iuris comunis dispositionem cognoscere possit dè causis Ciuilibus Aduersariorum requirentibus Iudicialem indaginem, vtiquè hæc causa est remittenda ad Ordinarium, non autem ad Iudicem conseruatorem juxtà punctualissimas aucthoritates superiùs adductas, & resolutiones Sacræ Congregationis Concilij superiùs relatas.

Quinimmò plùs probamus, nam dato etiam, numquam tamen admisso, quod Aduersarij habuissent à Sede Apostolica facultatem nominandi, & eligendi Conseruatorem, & admisso quoq; quod Summus Pontifex Conseruatori per Aduersarios eligendo concesserit facultatem cognoscendi etiam causas Ciuiles dd. Religiosorum indaginem Iudicialem requirentes, adhuc tamen hæc causa ad Ordinarium est remittenda: quia habentes huiusmodi priuilegia in electione Conseruatoris tenentur seruare formam præscriptam in Constitutione nona Gregorij XIII. quæ etiam est transcripta apud *Fagnanum in cap.*: *Si clericus dè Foro competenti in fine*; In illa enim fuit plenè sancitum, vt si Religiosi habentes dicta Priuilegia in electione Conseruatoris non seruauerint formam in dicta Constitutione præscriptam, tunc causæ Ciuiles requirentes Iudicialem indaginem sint coram Ordinario cognoscendæ: Nàm in dicta Constitutione primo loco annullantur omnes deputationes Conseruatorum vsque tunc factæ, Secundo mandatur illas denuo fieri juxtà formā in dicta Constitutione præscriptam; & si juxtà formam prædictam non fierent, vltra alias pænas sancitur dictas deputationes esse nullas, & inualidas, quodque intereà Regulares in dictis causis Ciuilibus Ordinarij Iurisdictioni subijcerentur ibi = *Quodque deinceps litteræ conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expedirentur, illæ, & deputationes huiusmodi, omniaque indè sequenda nullius sint roboris, vel momenti, & nihilominùs, qui secùs quam juxtà formam superiùs transcriptam Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seù deputare, aut electis, nominatis, seù deputatis, vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso Iure priuati, adeout habilitatem à nemine, præter quam à Romano Pontifice consequi valeant &c. & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, & loca huiusmodi, eorumque personæ, & bona careant Conser-*

uato-

uatore ad annum, itaut illorum causæ intereà coram Locorum Ordinarijs conueniantur, & inferius ibi = *Alioquin eò termino elapso quamdiù Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint coram ijsdem Ordinarijs conueniantur.*

Patet itaque ex prædictis, quod vbicumque Regulares habent facultatem eligendi Conseruatorem etiàm prò causis passiuis telam, & indaginem iudicialem requirentibus, oportet, vt Conseruatorem eligant iuxta formam præscriptam in Constitutione Gregorij 15. alias electio est nulla, & tàm Regulares, quàm Conseruatores eo ipso incidunt in pœnas in dicta Constitutione contentas, & in Caussis Ciuilibus passiuis subijciuntur Iurisdictioni Ordinarij, vt litteris rotundis in dicta Constitutione expresse cauetur.

Ea autèm, quæ prò forma seruari mandauit in dicta Constitutione Gregorius 15. sunt videlicèt; *Primo, vt Religiosi etiam Equites Hierosolomytani, in Iudices Conseruatores huiusmodi eligi, nominari, aut deputari nòn possint, nisi non solùm habeant qualitates, requisitas, & descriptas in Constitutione felic. record. Bonifacij Octauij, quæ incipit = Statutum, itaùt, vel Dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personatus obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiàm à Concilijs Prouincialibus, vel Diœcesanis iuxtà decretum Concilij prædicti Iudices electi, vel designati sint.*

Ex cuius lectura apparet, quod vt valida sit electio Conseruatoris, non sufficit, vt sit Canonicus Ecclesia Cathedralis, aùt quod possideat Dignitatem Ecclesiasticam, sed etiàm oportet, vt sit vnus ex Iudicibus synodalibus, *vt plenè probat Fagnanus, qui dictam Constitutionem compilauit in dicto cap. Si Clericus num.* 53. *de foro competenti*, vbi adducit rationem, propterquam Summus Pontifex voluit, vt Regulares eligerent in Conseruatorem vnum ex Iudicibus in Diœcesana Synodo deputatis, quos indubitatum est in singulis Diœcesibus deputari, & illis Sedes Apostolica passim concedit per Breue commissiones causarum in gradu appellationis.

Quodque ad validitatem electionis Conseruatoris requiratur de forma, vt Conseruator habeat qualitatem, vt sit vnus ex Iudicibus synodalibus resolutum fuit à Sacra Congregatione, vt ex resolutione, quam adducit *Fagnan. in d.cap.Si Clericus num.*59., & probant in specie Reuerendissimus Petra *ad Constit.* 10. *Eugenij* 4. *tom.* 4. *fol. mihi* 519. *num.*11., ibi = *Nostris verò temporibus sunt in viridi obseruantia etiàm quoad Regulares priuilegiatos, quæ Gregorius* 15. *in Constitutione* 9. *incipien. Sanctissimus sanciuit inhærendo vestigijs Clementis Octaui in Constitut.*3. *incipien. Sanctissimus &c. idem Pontifex decreuit, vt nequeant Conseruatores deputari, nisi habeant nedùm qualitates requisitas in capit. Statutum de elect. in* 6. *adeoùt, vel Dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant: VERVM ETIAM IN SYNODO DIOECESANA, VEL PROVINCIALI &c. IVDICES ELECTI, ET DEPVTATI SINT. Passerinus in capit. Fin. de offic. delegat. in* 6. *quæst.Vnica artic.*16. *num.*309. ibi = *Forma eligendi Conseruatores ponit Greg.*15.*in Constit. de Conseruat.*

in

in §.2. sed ibi de forma non requirit, nisi, quod Conseruatores habeant qualitates descriptas in capit. Statutum 5. de rescript. in 6. Et vlteriùs, quod eligendi &c. sint alias Iudices synodales Bordonus tom. 2. resolut. 95. num. 16. 17., & 18. Pellizzarius in manuali Prælat. tom. 2. tractat. 8. capit. 8. sect. 4. num. 88 fol. mihi 793. ibi = *Queres 6., qui possint, & debeant eligi in Conseruatores Respondeo non posse, nec debere eligi, nisi eos, qui sunt in dignitate constituti, aùt Ecclesiæ Cathedralis Canonici, & qui præterea &c. priùs electi fuerint in Iudices synodales patet ex Bulla Gregorij 15.*

Præsertìm quià id ipsum præcedentèr altera sua Constitutione statuerat Clemens Octauus, vt in Bullario intèr Constitutiones dicti Summi Pontificis la tertia, illamquè transcribunt *Kochier de Iurisdictione Ordinarij in exemptos, bo: mem: Fagnan., & Barbos. in locis superiùs allegatis*, eamque quoque transcribit *Monet. de Conseruatoribus capit. 5. num. 145.*, & quamuìs ipse in sequentibus numeris suadere conatur in Iudice Conseruatore non esse necessariam illam qualitatem, vt sit Iudex synodalis, tamèn suam opinionem fundat in eo, quod scilicèt Constitutio Clementis Octaui non fuit Constitutio perpetua, sed fuit nuda, & simplex regula Cancellariæ, quæ cùm obitu illius expirauit, ex quo Pontifices Successores illam non confirmarunt.

Argumenta autẽ Monetæ vrgere possent in casu, quo non adesset alia Constitutio, quam illa Clementis Octaui, at cùm subindè idem fuerit Statutum in perpetua Constitutione Gregorij 15., vtique seruanda est dicta Constitutio, vt in puncto, quod prò forma requiratur, vt Conseruator esse debeat Iudex synodalis probant omnes auctoritates superiùs adductę vigore pręcitatatę Constitutionis Gregorij 15. la 9.

In casu nostro Patres Aduersarij deputarunt in Conseruatorem D. Andræam de Solis, & Barrera Priorem Regij Conuentus Sancti Iacobi d'Espata non solum destitutum qualitatibus præscriptis in dicto *capit. Final. de Officio Delegati in 6.*, sed etiàm destitutum illa qualitate Iudicis synodalis, & proindè electio fuit nulla, & tàm Conseruator, quàm Aduersarij ipso iure, ipsoque facto inciderunt in pœnas in dicta Constitutione Gregorij 15. contentas, & superiùs expressas.

Et in specie, quod non possint eligi in Iudices Conseruatores Superiores Conuentuum cuiuscumque Ordinis, & Religionis resoluit Sacra Congregatio Concilij in Turritana, ibi = *Quærente Archiepiscopo Turritano = An Regulares vnius Conuentus Monasterij, vel Domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quamuis alium quauis Dignitate Regulari fulgentem in suum Conseruatorem eligere, vel deputare possent = Sacra Congregatio Cardinalium non posse respondit die 8. Octobris 1617.* = quàm resolutionem refert *Barbos. de Episc. allegat. 106. num. 15., Pellisarius in manuali Regularium tom. 2. tract. 8. cap. 8. sect. 4. n. 1. fol. mihi 794., Passerin. in cap. Statutum de Officio Delegati in 6. quæst. vnica art. 15. num. 299.*; vbi testatur *illam originaliter inspexisse*: Quodque Superiores locales Con-

tuum

uentuum Regularium non possint esse Conseruatores vltrà prædictos probant *Bordonus allegat.*95.*num.*15., *Lezana part.*2.*cap.*10. *num.*14., *Barbastrensis in Pastorali part.*1. *claus.*2. *num.*6., *Fragosius de Regimine Reipub. tom.*2. *lib.*4. *cap.*12. §.6. *num.*117., *Donat. quæst. regular. part.*2. *tract.*17. *quæst.*29. *num.*2.

Et ad summum prætendi potest, quod tunc Superior Regularis possit eligi in Conseruatorem, quotiès sit vnus ex Iudicibus Synodalibus dictæ Diœcesis, proùt resolutum quoque testatur à Sacra Congregatione Concilij *Barbos. in summa Apostolicarum decisionum verbo Conseruator num.*15. ibi = *Conseruator potest eligi Abbas Ordinis Oliuetani, si Episcopus in Synodo illum deputauerit Iudicem Synodalem* = & probant *Ioannes Maria Nauarius in Summa Bullarum sub tit. de Conseruator. verò Conseruatores nu.*5., *Lezana in summa quæst. Regular. tom.*2. *cap.*10. *num.*14. *in fin.*, *Pellizzar. in Manuali Regularium tom.*2. *tract.*8. *sect.*4. *num.*90. *circà fin.* ibi = *Cùm Lezana testetur Abbati Ordinis Oliuetani ab ipsa Congregatione Cardinalium indultum fuisse, vt eligi posset in Conseruatorem, si Episcopus eum in Synodo deputauerit Iudicem Synodalem, quod indultum puto competere per viam communicationis etiam Prælatis aliorum ordinum, si ij aliàs in Synodo deputati fuerint Iudices, sicut statuit Gregor. XV.* =

Patet ex præmissis, quod quocumque se vertant Aduersarij, cognitio huius Causæ spectat ad Ordinarium, etiamsi haberent potestatem sibi eligendi Conseruatorem, quià Conseruator solùm habet Iurisdictionem in manifestis iniurijs, & violentijs, quæ Regularibus inferuntur, ipsisque est de Iure interdictum, vt possint se intromittere in cognitione Causarum Ciuilium ad *Textum expressum in d. cap. final. de Officio Delegati, & Doctorum Auctoritatibus, & Sacræ Congregationis resolutionibus suprà ostendi.*

Et quamuis Aduersarij ostenderent, quod eorum Conseruatori amplissimæ facultates à Sede Apostolica sint elargitæ, & specificè concessa fuerit facultas cognoscendi causas Ciuiles, & Iudicialem Indaginem requirentes, in quibus sunt Rei, in his etiam terminis Causa, de qua agitur spectaret ad Ordinarium, nedùm quià in electione Conseruatoris non elegerunt Personam habentem qualitates præscriptas à Constitutione Gregorij XV. ex quo scilicèt sit Prælatus Conuentus Ordinis Militaris, qui nequit in Conseruatorem assumi, sed etiam, quià non habet qualitatem Iudicis Synodalis de forma requisitam à Constitutione Gregorij XIII.

Hæc quoad primam partem nostræ commissionis, quo verò ad secundam partem, qua supplicamus circumscribi omnia acta, & gesta per Conseruatorem, vtque Prouincia reficiat Reuerendissimo Capitulo omnes expensas, Instantia in hac secunda parte habet maiorem Iustitiæ fomentum: nàm aut Aduersarij habent potestatem eligendi Conseruatorem sinè speciali facultate cognoscendi Causas Aduersariorum, in quibus sunt Rei, & eo ipso quod Prouincia institit coram Conseruatore, vt ad se auocaret Causam Iudicialem indaginem requirentem: & Conseruator dictam Causam auocauit, omnes actus facti sunt nulli, & inualidi, & Prouincia Actrix tenetur Prin-

cipa-

cipalibus omnes expensas reficere, vt expresè decisum habemus *in dicto cap. final. de Officio Delegati in 6.* §. *Vt autem* ibi = *Vt autem Conseruatores limites sibi traditæ potestatis, quos frequenter excedunt, metu pœnæ diligenter obseruent, decernimus, vt si de alijs, quàm manifestis iniurijs, & violentijs scienter se intromiserit, seù ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt suam extenderit potestatem, eo ipso per vnum annum ab Officio sint suspensi: Pars verò quæ hoc fieri procurabit Sententiam Excommunicationis incurrat, à qua non possit absolui, nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primo satisfaciat integraliter expensas.*

Et in fine dicti §. ibi = *Quicquid autem contrà præmissa, vel eorum aliquid attentari contigerit, omninò decernimus irritum, & inane* =

Ex cuius textus censura sunt circumscribenda omnia gesta per assertum Conseruatorem, tàm ex patenti defectu Iurisdictionis, quàm ex decreto irritanti in dicto textu apposito, vt relatis antiquis Canonistis probat *Barbosa in dicto cap. Statutum num.24. de Offic. Delegati in 6.*

Quodque Prouincia Aduersaria, quæ Causam auocare fecit à Conseruatore in Causa Indaginem Iudicialem requirente incidit ipso facto in excommunicationem, & teneatur Reuerendissimo Capitulo integraliter reficere omnes expensas non solùm est expressum litteraliter in textu, sed etiam probant post antiquos Canonistas ibi *Barbos. num.21.*, *Passerin. super eodem cap. final. num.41. & seqq.*

Et quatenùs Aduersarij prætendant, siuè probauerint, quod hùc vsque probatum non fuit, ipsos habere indultum Apostolicum deputandi Conseruatorem cùm facultate, & Iurisdictione cognoscendi Causas Ciuiles iudicialem indaginem requirentes, adhùc tamèn cùm minimè deputauerint personam iuxtà Constitutionem Gregorij XV., qualificatam, & formam in dicta Constitutione præscriptam non seruauerint, vtique omnes actus ab eo facti sunt nulli, & inualidi ex defectu Iurisdictionis, & prò nullis, & inualidis haberi voluit Gregoriana Constitutio, vt ex contextu illius ibi = *Et Deputationes huiusmodi, omniaque indè sequenda nullius sint roboris, vel momenti.*

Quodque Pars, quæ auocare fecit Causam à Conseruatore contrà formam prædictæ Constitutionis electo, teneatur reficere Collitiganti expensas, liquet pariter ex dicta Constitutione, quæ in hac parte pœnas *in dicto cap. Statutum* decretas innouauit ibi = *Quod si qui Conseruatores siuè in hac parte, siuè aliàs quomodolibet suos limites excesserint &c., & Pars, quæ hoc fieri procurauerit, Sententiam Excommunicationis incurrat iuxtà formam alteriùs Constitutionis eiusdem Bonifacij Prædecessoris, quæ incipit hac Constitutione* = & aduertit in specie *Passerinus in dicto cap. final. de Officio Delegati in 6. num.44.*

Præmissa eo magis procedunt, quià Prouincia Aduersaria neque coram Ordinario, neq; coram Conseruatore probauit suos Religiosos aliquo Priuilegio esse exemptos à solutione Decimarum fructuū, quos colligant ex prædijs, quos proprijs sumptibus colunt, vt liquet ex priui-

priuilegijs coram vtroque Iudice productis, de quibus *in Summario num.*4. 5. *&* 6.

Agnoscentes Aduersarij defectum exemptionis quoque ipsis obstare in fine processus facti coram Conseruatore exhibuerunt sinè vlla formali productione sinè vlla Partis citatione sumptum de sumpto asserti Priuilegij cuiusdam Papæ nuncupati Alexandri; cui nulla fides est adhibenda, tùm quià est sumptum de sumpto, tùm quià ignoratur à quo Alexandro Pontifice fuit concessum, cùm dictum Priuilegium careat mense, & anno, nec sit subscriptum neque à dicto Pontifice, neque ab aliquo illius Officiali, adeoùt nullam penitùs mereatur in Iudicio fidem.

Quarè &c.

Vitus Angelus Caualletti.

Hyspalen.

COMMISSIO signanda.

Beatissime Pater. EXponitur humiliter S.V. prò parte deuotorum illius Oratorum Decani, & Capituli Patriarchalis Ecclesiæ Hyspalensis Administratorum perpetuorum Decimarum totiùs Archidiæcesis, necnon Bartholomæi Hordones Affictuarij Decimarum Villæ de Alcalà de Guadaira, quod licèt ipsi essent in quasi possessione immemorabili habendi, & colligendi Decimas ex tenimento, quod Patres Conuentus SSmæ Trinitatis Ordinis Calceatorum Ciuitatis Hyspalen. possident in d. Villa de Alcalà de Guadaire, nihilominùs dd. Patres sub prætextu, quod d. tenimentum coli cæperat anno 1715. expensis Prouinciæ Decimas anni 1716. soluere recusarunt in graue Oratorum præiudicium, quo circà introducto Iudicio coram Vicario Generali Hyspalen. super dd. Decimarum solutione post mensuratum ex Decreto Ordinarij frumentum, & ordeum recollectum anno 1716. ascenden. ad quantitatem termille fanegarum, & vltrà, dùm Iudicium coram Ordinario prosequebatur, dicti Patres recursum habuerunt ad Priorem S. Iacobi de Spatha prætensum Iudicem Conseruatorem ab ipsis nulliter, & de facto electum, qui Causam ad se aduocauit, & inhibitiones contrà Ordinarium relaxauit, & quamuis Oratores prædicti incompetentiam d. Conseruatoris allegassent, adhùc præfatus Conseruator non solùm non dubitauit nulliter, & de facto se declarare Iudicem competentem, & nouam inhibitionem decernere, sed quod magis est grauamina grauaminibus addendo appellationem per Oratores ad S.V. à d. Decreto intrà legitima tempora interpositam reiecit. Recurrunt itaque Oratores prædicti ad S.V. humiliter supplicantes, quatenùs declarare dignetur d. Causę cognitionem ad Ordina-

dina-

dinarium spectare circumscriptis omnibus gestis per ass. Conseruatorum cùm clausula etiam refectis omnibus expensis per Conuentum, seù Prouinciam, vel si magis placet Causam, & Causas appellationis, & appellationum huiusmodi vna cùm omnibus suis inciden. &c., ac quàm, & quas alicui ex Sacri Vestri Palatij Apostolici Causarum Auditoribus audien., cognoscen., fineque debito terminan., committere, & mandare cùm facultate citandi &c. necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis Stylo Palatij, & Curiæ, cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque statum &c. prò plenè &c.

CONGREGATIONE
Signaturæ Iustitiæ
R. P. D.
MERLINO
[*Hyspalen. Decimarum.*]
PRO
Illmis DD. Decano, & Capitulo Patriarchalis Ecclesiæ Hyspalen.
CONTRA
Ven. Conuentum, & PP. Ordinis Trinitariorum Calceatorum extra Muros Ciuitatis Hyspalen.

Facti.

Proponam die Iouis 19. Septẽbris 1720.
C. Merlinus.

Typis Zinghi, & Monaldi 1720.